

et directe dicitur esse effectus talis agentis, et non per aliud, seu ratione alterius prædicati, vel rationis adjunctæ, v. g. quia est esse hominis, vel equi, aut ignis, quia hoc pertinet ad productionem esse secundum determinatam formam, et rationem, et ut correspondet determinatæ, et particulari causæ. Unde est effectus causæ creatæ ratione formæ cui adjungitur esse; et sic transmutando formam, facit etiam esse per transmutationem, non per se totum esse influendo, ut ponderavimus citata disputatione VIII, art. II.

VIII. Hoc supposito duo restant probanda. Primum, quod esse hoc modo consideratum, et descriptum solum possit fieri a virtute creativa, nec proprie creat quod sic non producit esse. Alterum est, quod esse hoc modo sumptum solum derivari potest a Deo, nec alterius causæ creatæ effectus esse potest.

Primum ostenditur, quia ad creationem nihil præsupponitur, quia est productio ex nihilo: ergo totum quod est in effectu de esse facit. Patet consequentia, tum quia quidquid non supponitur factum ab aliqua causa, debet ab ea fieri, aut relinquatur infectum: ergo causa quæ ex nihilo operatur, nihil præsupponit factum: ergo totum facit; tum quia influxus creativus talis est quod per ejus suspensionem res annihilatur: ergo ex tali influxu totum esse pendet, si quidem ex subtractione ejus nihil deesse remanet: ergo facit totum esse secundum omnem rationem entis, si quidem si sic non faceret, non posset ex sola suspensione talis influxus annihilari ille effectus: indigeret enim etiam alterius causæ influxum removeri, si ex alia etiam causa penderet secundum aliquam rationem esse istius effectus. Unde ulterius fit quod influxus creativus ita est universalis, et supremus, quod re-

pugnat compati cum illo dependentiam ab alia causa, nec concursum alterius causæ, sed ipsa debet dare totum esse, et totaliter, ita quod si alia causa concurrat, debet esse ex causatione, et participatione ejus. Patet hoc, quia influxus creativus dat totum esse ex nihilo, ita quod per suspensionem, et remotionem talis influxus decidit res in nihilum: ergo non potest aliquid ex parte illius esse, et illius effectus correspondere alteri causæ, nec dependet ab alterius superiori concursu, et influxu, quia si dependeret, non posset ex sola suspensione influxus creantis decidere res in nihilum: restabat enim recursus ad aliam causam superiorem, cujus influxus si non tolleretur, res non penitus destrueretur: ergo repugnat quod influxus creantis sit dependens ab alio superiori, et non sit supremus, si quidem debet esse talis quod ex suspensione ejus res annihilatur: correspondent enim sibi mutuo creatio, et annihilatio: ubi est creatio ex nihilo, cessatio creationis est decidere in nihilum, quia creatio est influxus totius esse, et remoto influxu totius esse, annihilatur.

Ex quo probatur manifeste secundum, scilicet quod hic influxus totius esse solum possit esse a Deo, quia universalissimus est, ut ait S. Thomas in articulo quinto hujus quæstionis XLV. Et ratio deducitur clare, quia influxus supremus, et dependens a causa superiori non potest esse creatus, sed est proprius solius Dei; influxus creativus est ita universalis in ipso esse, quod repugnat admittere consortium, et dependentiam ab influxu superioris agentis, et causæ: ergo repugnat quod sit influxus creatus, et creativus, seu quod sit a causa creatæ, quia causa creatæ essentialiter est subordinata causæ superiori.

IX. Dices: Si influxus iste ita est

universalis quod attingit totum esse, et totaliter, ita ut totum faciat, nec relinquit quod aliquid fiat ab alia causa, sed totum quod in effectu est, facit: ergo influxus Dei non admittet consortium alterius causæ, quia si totum facit, et nihil supponit, nec remittit alteri causæ: superfluit ergo quæcumque alia causa. Sed non superfluit, si quidem cum Deo etiam aliæ causæ cooperantur: ergo signum est quod ille influxus creativus non est ita universalis quod omnem rationem faciendi esse comprehendat, sed aliquid relinquit pro aliis causis; et sic fundamentum nostrum non subsistit, quasi non sit communicabilis creaturæ influxus creandi, quia debet per creationem totum esse facere, et omni modo facere, nec supponere quod ab alia causa aliquid fiat.

Confirmatur, quia causæ creatæ quando producunt effectum de novo, vere faciunt, et dant esse effectui, et dando esse illi quantumcumque secundum gradum inferiorem, etiam omnes gradus, et prædicata superiora esse recipiunt: nec enim gradus inferior fit seorsum a gradu superiori: nam gradus isti non distinguuntur, sed sunt eadem res: ergo eodem esse gaudent, et sic qui facit unum, facit alterum. Non ergo est solida illa distinctio, quod uni agenti correspondet esse secundum unum gradum, et alii secundum alium.

Respondetur quod in influxu creativo, et universalissimo præcipuum quod urgemus in præsentem est, quod est supremus, et independens a superiori causa, ita quod repugnat ei admittere consortium causæ, et influxus a quo dependeat in operando eo quod si est creativus, etiam debet esse annihilativus per solam sui suspensionem, alias creativus non est quod vero admittat causas inferiores dependentes a se, et qui-

bus ipsa causa universalis communicet hoc, quod est causare, et influere, non est contra universalissimam rationem influxus divini, sed pro illo, quia inter alia quæ causat ille influxus, est quod causæ inferiores sint causæ, nec in eis aliquid præsupponit, aut ex illis accipit, sed totum quod causant, dat eis. Unde si Deus velit annihilare aliquid causatum per generationem a causa inferiori, æque bene potest, ac si a se solo causaretur, et tunc per subtractionem influxus etiam suspendit Deus inferiores causas, ne operentur in effectum quem ipse annihilare vellet. Quod tamen non posset causa creativa, si esset creatæ, quia dependens esset a superiori causa divina, cujus influxum suspendere per se non posset; et sic per sui concursus suspensionem res non annihilaretur, quod est manifestum signum non esse concursum creativum. Licet autem influxus Dei non impediatur causas inferiores, sed juvet, tamen quando operatur creando, non potest admittere consortium, etiam causæ inferioris, quia creatio nihil relinquit in effectu, quod fiat ab alia causa, cum faciat totum ex nihilo, nec subjectum aliquod supponit circa quod posset causa creatæ dispositiva, et instrumentaliter se habere, ut statim dicemus.

Ad confirmationem respondetur, quod quando forma aliqua producit a particulari agente secundum gradum determinatum, facit alios gradus, et prædicata in tali re contenta, et identificata non per se primo, et formaliter, sed identifice, ut sunt entitative unum cum alio, et per modum particularem, scilicet per transmutationem materiæ, ac per hoc non omnia facit, scilicet ipsum subjectum, seu ens potentiale, quod est materia. Ut autem ea prædicata superiora etiam per se fiant, opera-

tur causa particularis in virtute causæ superioris, cui tamquam altiori convenit per se respicere universaliores effectus, et rationes.

X. Secundum autem quod diximus supra deduci ex ista ratione, est quod existentia sit forma per se producendi esse, et creandi, quod nulli creaturæ competere potest, quod explicavimus citata disputatione VIII, art. III, quia in unaquaque re formalis ratio agendi est forma illa qua natura talis rei constituitur: natura enim est principium motus, et quietis. Existentia autem in nulla re creata potest esse forma constitutiva naturæ, cum omni creaturæ accidentaliter sit; et sic potest quidem esse conditio requisita ut forma operetur effective, quia quod non est, non operatur, non tamen potest esse forma, et ratio operandi, quia in nulla creatura potest naturam constituere, sed ei advenire, eamque extra causas ponere, quod est prædicatum accidentale, quidditatem supponens, non constituens: ergo neque potest constituere formam principiumque agendi; sed ille dicitur effectus per se et in quarto modo alicujus agentis, qui correspondet formaliter, et adæquatur formæ, quæ est principium operandi, quia inde sumitur ratio efficiendi conducens, et coaptans processionem effectus ipsi causæ: ergo repugnat quod esse seu existentia sit effectus per se primo, et in quarto modo alicujus agentis creati, quia implicat quod aliquod agens creatum habeat existentiam pro forma, seu principio formali agendi, sed solum pro conditione. Rursus in creatione formalis ratio agendi est ipsum esse, quia creatio non respicit hanc vel illam quidditatem, tale vel tale ens, in quantum tale, pro ratione formali, sed totum ens, atque adeo habet formalem rationem comprehendentem omne ens, et hoc

solum est esse: ergo formalis ratio quam respicit creans primo, et per se est esse, non sicut in generationibus, in quibus respicitur esse ut consecutum, et alligatum alicui formæ, et in vi formæ quæ producit, in creatione autem respicitur primo, et per se ipsum esse, forma autem, et species rei, ut quid contentum, et subjectum ipsi esse: ergo oportet quod forma seu principium formale agendi in principio creante sit esse, seu existentia; hæc autem in nulla re creata potest esse forma, et principium agendi, nisi tantum conditio, quia in re creata supponit naturam constitutam, solum autem in Deo est essentialis, et intrinseca forma: ergo solus Deus creat, quia solus producit esse ut primo et per se, et in quarto modo productum.

XI. Denique, accumulari potest pro hac parte alia repugnantia, quia actio creativa non potest esse accidens, sed substantia, in nullo autem creato potest operatio esse substantia, sed accidens: nulla ergo creatura potest creare. Minor patet, quia nulla creatura est actus purus, sed operatio comparatur ad ipsam, ut actus secundus ad actum primum et ut actus procedens ab ipso agente: ergo non constituit ejus substantiam, sed accidit illi, quia procedit illi ab eo: ergo supponit illud. Et sic agens creatum quandoque est in potentia, quandoque in actu, quod est signum non esse substantiam. Major probatur, quia operatio creativa non recipitur in aliquo subjecto extra se cum ex nihilo producat; neque in ipso agente, quia hoc ipso quod subjectaretur in ipso tamquam accidens, educeretur ex ipso per mutationem ejus; et sic creatio in se esset quædam mutatio agentis seu creatantis. Actio autem quæ est mutatio in agente, multo magis erit mutatio in

ipso producto, quia ex vi suæ processionis, et originis procedit ut mutatio, etiam ut est in agente, et procedit de potentia ad actum: ergo etiam in suo termino procedente ab ipsa se habebit ut mutatio, et ut respiciens potentialitatem quam reducat in actum, quia non potest in termino operari, nisi juxta modum quem habet ex vi sui principii a quo procedit: procedit autem ut mutatio agentis: ergo ut mutatio termini producti, quia terminus sic procedit sicut actio, si quidem actio identificatur cum termino: si ergo actio procedit ut mutatio: ergo terminatur ut mutatio, et sicut recepta in illo termino: ergo non ut ex nihilo. Sed de hac ratione statim amplius agemus tractando an possit dari instrumentum creationis.

XII. Ad rationes dubitandi supra positas respondetur, quod virtus creativa non solum si exercetur respectu omnis collectionis creaturarum, sed etiam in quocumque effectu, et in quacumque creatura determinata petit vim infinitam, et sufficientem ad totam creaturarum collectionem ex vi modi producendi, quia hoc ipso quod producit ex nihilo totum ens, et influit esse totaliter in effectum æque facile potest quocumque ens producere, et tanta difficultas est in producendo ex nihilo minimum ens ac magnum, ut satis ponderatum est. Et cum dicitur quod non est distantia infinita inter nihilum et ens finitum respondeo, quod non est infinita distantia ratione rei factæ, seu termini in quem desinit distantia, sed ratione termini a quo, quia non est reperire aliquid unde illa distantia incipiat, et sic nunquam incipit distantia; et si nunquam incipit est infinita a parte termini a quo, quia non habet terminum ex hac parte. Nam infinitas potest aliquando esse a parte

ante, aliquando a parte post, sicut si mundus esset ab æterno, haberet infinitatem a parte ante, et Angelus, vel anima nunc producta habent infinitatem a parte post. Deus autem habet infinitatem simpliciter, et ex omni parte. Unde inter nihilum, et Deum est infinitas ex parte ipsius rei, seu extremi ad quem est distantia, et hæc infinitas est talis simpliciter. Et in hoc sensu dixit D. Thomas in IV, dist. V, q. I, a. III ad V, in secunda responsione argumenti, quod: « Inter ens, et non ens non est distantia infinita ex parte ipsius entis, nisi ens sit infinitum; sed verum est quod dicta distantia est quodammodo infinita ex parte non entis simpliciter, eo quod neque determinatam distantiam ab aliquo ente signato transcendit, quia nihil potest magis distare ab ente, quam non ens. » Ita D. Thomas in secunda solutione, licet in prima sequens sententiam magistri, videatur dicere quod non est distantia infinita inter ens, et non ens. Quare inter nihil, et rem creatam solum est infinita distantia ex parte termini a quo, et est distantia negativa, quia non est unde incipiat determinata distantia, et sic nunquam incipit distare, et hoc sufficit ut finita distantia non sit, sed infinita, quia non est initium distantiae, ubi nihil est, a quo incipiat.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod potius non est intelligibile quod sit majoris virtutis creatio Angeli quam unius formiæ, vel totius universi quam unius entis particularis, quia creatio per se directe non respicit determinatam speciem rei quam creat, nec supponit aliquod subjectum, seu materiam, aut dispositionem ratione cujus determinetur ad hanc speciem potius quam illam, sed ex vi modi operandi respicit totum ens in effectu quem producit, quia de il-

lo nihil supponit, et ex nihilo facit: ergo totum facit; in illo autem ente sunt quædam prædicata generica et superiora, quædam specifica et individualia; si ergo per se omnia respicit, implicat quod sit solum productivum talis agens alicujus speciei determinatæ per se, et sumendo ex illa specie rationem formalem agendi, quia ipsa productio hoc ipso quod per se operatur rationes superiores, et magis universales, non potest per se primo specificari, et determinari a ratione particulari, et specifica; et sic non debet esse productiva solum illius, hoc ipso quod altiorem rationem per se primo attingit, et sub illa procedit, et operatur. Non enim universalis ratio, et superius prædicatum debet produci in abstracto, et in universalibus, sed tamen dicitur universalior ratio attingi in effectu, quando suo universaliori ratione effectus attingitur: si ergo potentia creativa per se primo operatur totum, et nihil supponit, repugnat per se solum esse virtutem ad determinatam aliquam speciem producendam; et sic eadem virtus, quæ creat magis, creat minus, et tam facile est creare formicam, quam Angelum, hoc ipso quod ex nullo præsupposito fit, quia majus, et minus in entibus sumitur ex eorum differentiis specificis, vel genericis, et hæc materialiter se habent in creatione, non ut formalis ratio.

XIII. Dices: Illa potentia creativa erit productiva totius entis, et omnium prædicatorum, quæ in tali specie continentur, non extra illam. Unde licet producat universales rationes, seu gradus, et quidquid in tali specie continentur, non sequitur quod alias species producere possit; sicut etiam virtus factiva tritici e terra, non solum producit speciem tritici, sed etiam gradum viventis per se loquendo, non

tamen omnia quæ sub vivente continentur, poterit producere. Sic ergo cur implicabit communicari a Deo potentiam creativam inadæquate, id est, non totius entis in tota sua latitudine, sed totius entis, et omnium graduum, et prædicatorum pertinentium ad aliquam speciem rei, ita quod nihil de ea supponat, sed totum faciat, atque adeo ex nihilo? Unde non sequitur infinitam potentiam requiri ad creandum aliquem effectum, quia non sequitur quod ista potentia creativa sit omnis collectionis entium productiva.

Respondetur repugnare, quod potentia aliqua sit factiva totius entis, seu omnium prædicatorum ejus per se primo, et non sit factiva aliarum specierum, sed solum illius quam determinate operatur. Duplīciter enim potest aliquid agens producere gradum superiorem, seu rationem communem. Primo, quatenus alligatum, et inclusum in aliqua ratione, seu forma specifica, et quia a forma eadem proveniunt omnes gradus, tam generici, quam specifici, quodlibet agens producens formam, producit omnes gradus in tali forma inclusos, seu ab ea provenientes, et communicatos materiæ, seu composito. Et hæc quidem productio gradus superioris, per se illum attingit, sed non per se primo, et ut rationem formalem in quarto modo, sed ut inclusum, et alligatum formæ, et gradui specifico, ad cujus attingentiam attingitur superior gradus. Alio modo potest attingi gradus superior, non ratione alterius cui adjungitur, sed per se immediate, et primo, quia vis agentis et operationis tanta est, et tam universalis, ut etiam ipsam entitatem ut potentialem, et indifferentem ad plura non supponat, sed producat, et faciat: tunc enim impossibile est quod illa actio primo attingit, et immediate per se specificam rationem,

et differentiam ultimam, quia cum ad eam nihil præsupponat, etiam per modum potentialitatis, sed totum ex nihilo faciat, necesse est quod antequam attingat differentiam specificam, præcedat attingentia superioris gradus, et entitatis, etiam ut potentialis est, et indifferentis ad plura, si quidem ista potentialitas non supponitur, sed efficitur, cum totum ex nihilo fiat tam potentiale, quam actuale. Cujus signum evidens est, quia qui per creationem produceret leonem, deberet producere materiam leonis, et non solum formam. Si autem producit materiam leonis, producit in illa potentiam ad omnes formas, quia illa materia quæ est in leone, cum sit materia prima, est capax omnium formarum: ergo illa actio creativa, etiam ut creativa leonis, debet esse productiva capacitatis ad omnes formas: ergo non potest per se primo esse productiva gradus specifici aut gradus superioris, quatenus specifico alligati, et ad formam consecuti, sed prius, et antè, debet esse productiva ipsius potentia, et capacitatis omnium formarum, quæ est materia, quia prius attingitur in creatione id quod est prope nihil, nempe materiam, quam id quod est in actu, nempe forma, cum creatio procedat ex nihilo. Ex hoc autem quod manifestum est in creatione rei materialis quod per creationem debet attingi materia, elevamus discursum ad inferendum, quod in quocumque ente quod creatur, oportet quod fiat gradus, et ratio ipsa generica, etiam quantum ad id quod potentialitatis habet genus, ita quod fiat per se primo, quia nihil talis potentialitatis supponitur in actione creativa, et sicut fit materia prima in creatione rei materialis, ita et potentia metaphysica quæ est genus, correspondetque materiæ.

XIV. Ex hoc autem ulterius fit, quod si actio creativa non per se primo attingit formam, vel gradum specificum, sed materiam, vel gradum genericum quatenus potentialis est, et indifferentis ad plura, si quidem quantum ad hanc potentialitatem etiam non supponitur, sed fit, necesse est quod talis actio creativa vim habeat super omnes formas in tali materia contentas, et super omnes differentias específicas in tali genere radicata, et non solum producat gradus genericos, et superiores, quatenus in aliqua specie inclusos.

Ratio est, quia actio producens aliquam potentiam ad plura se habentem, et indifferentem, quatenus talis, non debet coartari, et determinari, nec incipere actionem suam a forma aliqua determinata, ad quam dicit illa potentia indifferentiam, cum ex attingentia talis formæ non adæquet indifferentiam, et capacitatem totius potentia. Debet ergo operari, non ut alligata, et determinata ad aliquam formam talis potentia, sed ut indifferentis ad omnes. Ergo si producendo talem potentiam, et capacitatem potest aliquam formam attingere ex illis ad quas est capax, et indifferentis, poterit attingere omnes, quia non est major ratio, neque major distantia ad unam, quam ad aliam, si quidem procedit ex universalitate, et indifferentia super omnes, non ex determinatione ad unam. Et notanter dico: Si potest attingere aliquam formam ex contentis in tali potentia, quia quando agens producit aliquam potentiam, sed nullam ex formis, seu objecti circa quæ potest, producit, non tenet discursus factus, sicut qui producit oculum potentem videre omnes colores, non sequitur quod possit omnes colores producere, quia ad generantem non pertinet producere illam potentiam visivam, nisi

ut tenet se ex parte subjecti generati, cujus potentia est, et proprietas, non quatenus ab objecto, quod est illi extrinsecum, perficitur; et ideo non producit tale generans aliquam formam, seu objectum, quia extrinsecum illi est. Cæterum si aliquid agens producendo potentiam indifferentem attingit aliquam formam illius (ut revera attingit creatio) oportet quod in vi talis actionis possit omnes attingere, quia si virtus productiva illius materiæ, vel potentiæ, tanta est, ut possit totam illam capacitatem, et indifferentiam potentiæ producere, et etiam actualitatem formæ in illa contentæ, utrumque attingit ex vi suæ virtutis, et activitatis ita indifferentis, et universalis, quod nulli formæ determinatæ alligatur: ergo qua ratione facit unam, poterit facere omnes, quia virtus universalis est cum indifferentens sit ad omnes, id est, nulli alligata determinate, et tamen potens actualitatem ipsam formæ producere.

XV. Ad argumentum ergo ex dictis respondetur, quod non stat potentiam creativam procedentem ex nihilo in sua productione producere universaliores rationes, solum prout inveniuntur, et coarctantur ad aliquam determinatam speciem ob rationem jam dictam. Nec est simile de generante formam, et in ea tangente gradus tam específicos, quam genericos, quia, ut diximus, gradus superiores non attinguntur per se primo ab agente particulari, et secundum potentialitatem, et indifferentiam superioris gradus ad plura, sed quatenus superior gradus alligatus est, et inclusus in specifico, et inferiori, ad quem per se primo respicit agens particulare. Et quod sit necessarium ad actionem creativam attingere per se primo superiorem gradum ut potentialiter se habet ad plura, jam ostensum est.

Itaque in gradu superiori possumus considerare, et id quod actualis rationis est, licet imperfectæ, et hæc alligatur inferiori, ut contrahenti, et perficienti, quia gradus superior imperfectior est, et contrahibilis ab inferiori, qui perfectior est utpote determinans illum; et possumus considerare amplitudinem illius gradus, seu capacitatem (licet potentialitatem) ad plura, sicut materia prima, et habet entitatem imperfectam respectu formæ a qua determinatur, et actuatur, et similiter habet capacitatem, et extensionem ad plures formas. Gradus ergo genericus, et superior, quantum ad id quod actualitatis habet, et entitatis in se, simul producitur a producente formam, nec requiritur ad hoc creatio, sed generatio, quia ad hoc sufficit producere formam ad quam tales gradus sequuntur prout tales, id est, prout magis vel minus perfecti. Et sic generans triticum non solum producit speciem, et formam tritici, sed etiam gradum viventis, videlicet prout sequitur ad formam, et in ea includitur; sic enim faciens formam efficit gradus qui illam comitantur, et sequuntur. At vero gradus superior primo modo consideratus non per se primo attingitur ab actione generantis, nec a producente formam, quia istam extensionem, et potentialitatem non habet a forma, sed præsupponitur ad formam, sed agens quod potest producere materiam ex nihilo, potest potentiam capacitatis ejus attingere, et similiter generis latitudinem, et consequenter ad omnes formas se extendere, quia non operatur aliquam ex determinatione, et constrictione rationis suæ formalis ad illam, sed ex universalitate quam habet super capacitatem ad omnes, ut ostendimus. Quod si universalitas causæ creantis est talis quod ex nihilo operatur totum ens, tam poten-

tiale, quam actuale (cum generatio e converso supponat potentiale, et ex illo educat actuale, tam quoad gradus imperfectos quam perfectos, tam superiores quam inferiores) necesse est quod incipiat a potentialiori, et universaliori, scilicet ab ente, ut ens est, quia totum facit in gradibus, etiam quoad potentialitatem, et universalitatem, quia nihil supponit; et consequenter talis virtus creativa si potest in omnes formas ad quas potentialitas, et capacitas rationis genericæ se extendit, si ipsum gradum entis cum sua potentialitate facit, ad omnes actualitates, et formas, et species entis se extendit, et hoc est esse infinitam potentiam, quæ omnem entis collectionem respicit. Generans autem, licet faciat istos gradus et procedendo ab imperfecto ad perfectum, possit prius attingere gradum imperfectiorem qui est superior, quam perfectiorem qui est inferior, et specificus; tamen quia hos omnes attingit, ut in forma identificatos, et consequenter e materia eductos, non ipsam amplitudinem potentialitatis, et capacitatis per se primo attingendo, inde est quod non incipit a gradibus superioribus universalitate operationis, et virtutis, sed imperfectione, et potentialitate eductionis.

XVI. Quod si adhuc dicas, quia si potentia creativa attingit per se primo illum gradum universalissimum entis, ut ens est, ergo debet attingere Deum, patet consequentia, quia Deus continetur sub hoc prædicato, et gradu universalissimo: ergo si illa regula tenet, quod attingens capacitatem universalem aliqujus prædicati, et gradus, attingit quidquid sub illo continetur: ergo cum Deus contineatur sub ente, attinget Deum. Quod si dicatur, quod creatio solum attingit gradum universalissimum entis creati, non gra-

dum abstrahentem a creato, et increato, sed quatenus ens includitur in ente creabili, contra est, quia hoc modo infringitur ratio D. Thomæ, quia eadem ratione poterit quis dicere, quod potentia creandi communicata creaturæ non attingit ens creabile in toto sua universalitate, sed ut includitur in tali ente creato ad quod, et non ad aliud se extendit ista potentia: quæ enim in hoc est implicatio? Cum ex ratione creationis præcise non arguatur, quod necesse sit tangere universalem rationem entis in tota sua transcendentia.

Et denique confirmatur, quia licet bene probetur inter potentiam educativam ex subjecto, et productivam ex nihilo nullam dari proportionem, et in hoc sensu distare infinitum, tamen inde non infertur infinitas simpliciter in potentia, quæ sola repugnat creaturæ, sed infinitas secundum quid, id est, quod fit potentia alterius ordinis; et semper res alterius ordinis improportionate, et infinite excedunt rem inferioris ordinis, et æquivalent infinitis operationibus ejus, non tamen petunt infinitatem simpliciter, sicut Angelus excedit omnem vim corpoream, non tamen est infinitus, et gratia infinitas res naturales.

Respondetur ad principale argumentum negando sequelam, ut in solutione assignata negatur.

Ad probationem dicitur, creationem debere attingere ens, ut ens, seu totum ens loquendo in terminis propriis, et habilibus, id est, ens sibi non repugnans, et consequenter creabile. Unde non dicimus quod attingit gradum entis communissimum, ut etiam communem enti increato, sed quod incipit sua formalis ratio, et per se primo ab ente creabili, quia in illa altiori abstractione, ut abstrahit a creato, et increato non potest invenire rationem